

Franckesche Stiftungen zu Halle

Henricvs Klausung Theologiae Doctor Et Professor Pvblicvs Ordinis Theologorvm Hoc Tempore Decanvs Promotionem Doctoralem Octo Theologiae ...

Klausung, Heinrich

[Leipzig], [1724?]

VD18 13071831

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:33-1-202490](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-202490)



63. B. 8.

58

561

57

Q. D. B. V.

HENRICVS *Klausius*

THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR
PUBLICVS

ORDINIS THEOLOGORVM
HOC TEMPORE

DECANVS

PROMOTIONEM

DOCTORALEM

O C T O

THEOLOGIAE
LICENTIATORUM

DIE XXVII APRILIS A. c13 13cc XXIV

IN AEDE PAVLINA SOLENNI RITV
INSTITVENDAM

INDICIT

ET AD EANDEM

ORDINIS THEOLOGICI
FAVTORES OMNES

QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE
INVITAT

374

IN VITAT
QVA PAR EST OPERANTIV ET MANIPULATE
PASTORIS OMNIS
ORDINIS THEOLOGICI
INDICIA
IN ABBATIA LINCOLNENSIS
THEOLOGICAE
LICENTIATORUM
THEOLOGICAE
DOCTORUM
PROFESSORUM
DECANVS
ORDINIS THEOLOGORVM
HENRICVS
D. D. N.



Non ad Corinthios solos, sed, certo respectu, ad omnes quoque vere Christianos, maxime vero omnium ad Ecclesiae Doctores, pertinet Pauli illa vel cohortatio, vel commonitio, qua, in I Corinth. XII, 31, his omnibus aemulationem aliquam, pro melioribus optimisque donis, seu *χαρίσμασι*, obtinendis, vel iniungit, vel concedit, *ζηλῶτε*, inquit, *τὰ χαρίσματα, τὰ κρείττονα*, hoc est, interprete SEBASTIANO SCHMIDIO, *aemulamini dona meliora*, vel, ut reddidit haec verba ERASMVS SCHMIDIVS, *ardenti studio sectamini dona potiora*, vel, LVTHERI ex sententia, *strebet nach den besten Gaben*. Ego quidem non ignoro, fuisse olim in Ecclesia ipsa Corinthiaca, Pauli post discessum ab eadem, cum priorem ad Corinthios Epistolam perscriberet,

A 2 375 magnas,

magnas, cum de rebus aliis, tum vero in primis,
 de variis docentium donis, in hac Ecclesia exor-
 tas, contentiones, in schismata ipsa erumpentes.
 Quod ad auditores et discipulos attinebat, illi, in
 docentium intuentes schismata, ipsi quoque inci-
 piebant alere ζήλον (hoc est, stultam aemulatio-
 nem, pro autoritate doctorum suorum, per quam,
 hi illum, alii alium, suspiciebant, contemnentes reli-
 quos) καὶ ἔριον (hoc est, lites et iurgia, in quae prae-
 posterus ille zelus saepe erumpebat) καὶ διχοστα-
 σίας, hoc est, dissidia, studiaque partium, et fa-
 ctiones multo turpissimas et maxime perniciosas,
 ex Ecclesia et Scholis prorsus proscribendas lon-
 gissimeque propulsandas. Hinc etiam ipse Apo-
 stolus σαρκινὰς καὶ κατ' ἀνθρώπον περιπατοῦντας
 hos in Ecclesia Corinthiaca nominat, I Corinth.
 III, 3, praesertim, cum schismaticis quoque nomi-
 nibus uterentur, seque ipsos in sectas varias diuel-
 lerent, aliis profitentibus, *se esse Pauli*, aliis affir-
 mantibus, *se esse Apollonis*, aliis iterum, *se esse*
Kephae, paucissimis cupientibus, *esse Christi*,
 I Corinth. I, 12. Qui docentium, tum qui-
 dem temporis, munere sacroungebantur, horum
 plerique, quoniam sapientiae sapientum huius
 mundi sese dederant, I Cor. I, 19, ἐν παιδοῖς ἀνθρώ-
 πινος σοφίας λόγοις ἐφυσώθησαν, *in persuasoriis*
humanae sapientiae verbis inflati facti, super il-
lud, quod scriptum est, sapere, aliusque super, et
con-

contra, alium se efferre, incipiebant, I Cor. II, 4, IV, 6, 18. In primis, ob donorum excellentiam, quam sibi, alii prae aliis, arrogabant, maiorem, turgentes, omnes τὰ πρωτεῖα affectabant, cupientes esse dicique ἀπόστολοι, πρωφῆται, διδάσκαλοι, χαρίσματα ἔχοντες ἰαμάτων, γλώσσαις λαλῶντες, διερμηνεύοντες, vti colligere licet, ex I Corinth. XII, 29, sqq. IOANNI CHRYSOSTOMO, in Argumento Prioris ad Corinthios Epistolae, recte dicuntur συμμορίας ποιησάμενοι καθ' ἑαυτὰς, καὶ αὐτοχειροτόνητοι γενόμενοι, οἱ προεισηήκεσαν τῷ πλήθει, καὶ οἱ μὲν τέτοις, οἱ δὲ ἐκείνοις, ἑαυτὰς προσένεμον, τοῖς μὲν, ὡς πλεσίοις, τοῖς δὲ ὡς σοφοῖς, καὶ πλεον τι δυναμένοις διδάσκειν· οἱ δὲ καὶ παραλαβόντες αὐτὰς ἐφιλοτιμῶντο, πλεον τι τῷ ἀποστόλῃ δῆθεν λέγειν, hoc est, GENTIANO, HERVETO, AVRELIO, interprete, per se, et a se ipsis, electi, inque classes et sectas diuisi, qui inseruierint multitudini, seu plebi, alii quidem his, alii vero illis, se dispertientes, illis quidem, tanquam diuitibus, his vero, tanquam sapientibus, et qui plus possent docere. Qui etiam, eis acceptis, contendebant, se plura docere et dicere, quam Apostolos. Cum huiusmodi fuerit status corruptissimus Ecclesiae Corinthiacae, nemo dubitabit, Apostolum, vt reliquas totius Epistolae cohortationes omnes, in primis illam, qua, Cap. I, 10, παρακαλῶ, inquit, ὑμᾶς, διὰ τῷ ὀνόματος τῷ Κυ-

εἰς ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἵνα ΤΟ ΑΥΤΟ ΛΕΓΗΤΕ
 ΠΑΝΤΕΣ ΚΑΙ ΜΗ Η ΕΝ ΥΜΙΝ ΣΧΙ-
 ΣΜΑ, ἥτε δὲ κατηγετισμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοῖ, καὶ ἐν τῇ
 γνώμῃ, ita etiam haec, quae in principio allegata
 sunt, verba, *ζηλᾶτε τὰ χαρίσματα, τὰ κρείττονα*,
 voluisse primum speciatimque ad Corinthios re-
 lata. Cum vero eadem illa quoque facies Eccle-
 siarum identidem recurat, nostraque in primis
 aetate videatur illud maxime esse necessarium, ut
 repetita haec verba, et explicata, non nullis, hinc
 inde, nunc docentibus, nunc discentibus, propo-
 nantur, et, cum ipse Apostolus haec verba desti-
 nauerit, *ὃ τοῖς ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κλητοῖς
 ἁγίοις ἐν Κορίνθῳ μόνοις, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς ἐπι-
 καλυσμένοις τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐν
 παντὶ τόπῳ*, I Cor. I, 2, non videbatur esse alie-
 num, ad haec verba non nihil illustranda, ani-
 mum reuocare, et inquirere potissimum haec
 duo: Primum, quid sint et dicantur hoc loco
χαρίσματα τὰ κρείττονα; Deinde, quinam et qualis
 sit ille zelus, quo obtineri debent, cuius respectu, *ζη-
 λᾶτε*, inquit Apostolus, *τὰ χαρίσματα, τὰ κρείττο-
 να*; Sintne haec verba *ἐρωτηματικά*, adeoque Apo-
 stoli, Corinthios, et reprehendentis, propter ze-
 lum praeposterum, et excitantis ad pium sanctum-
 que zelum, interrogando? quod volunt CHRYSO-
 SOSTOMVS, THEOPHYLACTVS, PHOTI-
 VS, et non nulli interpretes alii, apud ESTIVM,

qui-

quibus addi potest FLACIVS, *in Glossa, ad hunc locum.* An vero haec verba sint dicenda *παραινέτιν*, hoc est, Apostoli, Corinthios, ad dona meliora, seu optima, pio zelo obtinenda, cohortantis? quod placet LVTHERO et reliquis, ut opinor, horum verborum interpretibus optimis. An denique sint verba *ἐπιτρεπτινὰ* tantum, hoc est, Apostoli, Corinthiis aliquam aemulationem, in donis illis melioribus atque optimis consequendis, tantummodo permittentis, et, sub conditione certa, concedentis, vel, ut MENOCHII verbis utar, *non prohibentis?* quod comprobatur iterum multis, et versionum, et commentariorum, conditoribus, has, inquam, quaestiones, non attinet, diu multumque velle inuestigare. *Quo enim cunque modo verba illa tandem exponantur, sensum tamen eundem retinebunt*, auctore WEINRICHIO, *Comm. in h. l.* Nec repugnat, interrogando, et reprehendere, et cohortari, et concedere alicui aliquid simul, quod GLASSIVS, *Rhetor. Sacr., Tr. II, Cap. V, p. 557, seqq.*, exemplis multis confirmavit. Et, quid prohibet, eundem, qui concedit alicui aliquid, illud pariter, atque eadem quasi opera, commendare, qua illud concedit. Zelus certe atque aemulatio est huiusmodi quid, in homine mortali ac peccatore, quod, reprehensionem non minus, quam permissionem et cohortationem, pro diversa considerandi ratione, admittit, et aliquando

etiam requirit. Dicamus igitur, cum LVTHERO,
BALDVINO, HVNNIO et CALOVIO, *Comm.*
in b. l., et, secundum *Versiones* multas, *Arabicam*,
Syriacam, *Castalionis*, *Bezae*, *Erasmi*, *Tremellii*, et
aliorum, vocabulum $\zeta\eta\lambda\acute{\alpha}\tau\epsilon$, per imperatium mo-
dum, commode hic exponi posse, et significare co-
hortationem talem Apostolicam, ad sanctam pi-
amque aemulationem, pro obtinendis donis melio-
ribus, immo, et optimis, quae, tam cum reprehen-
sionibus atque interrogationibus, indignationum
ac prohibitionum plenissimis, praemissis, in vers.
30, et reliquis praecedentibus plurimis, quam cum
consequenti $\acute{o}\delta\omicron\sigma\sigma\omicron\Phi\iota\alpha$, ad modum et media, melio-
ribus atque optimis his donis impetrandis, in vers.
31, totoque capite XIII et XIV, accommodata, con-
iunctim proponatur. Quibus observatis, non est,
cur diutius quaeramus, sintne verba Apostoli com-
memorata, $\acute{\epsilon}\pi\iota\tau\rho\epsilon\pi\lambda\iota\alpha$, an $\acute{\epsilon}\rho\omega\tau\eta\mu\alpha\tau\iota\kappa\acute{\alpha}$, an vero
 $\pi\alpha\rho\alpha\iota\epsilon\tau\iota\kappa\acute{\alpha}$; Quoniam haec tria, in doctrina de
aemulatione pro donis melioribus, aut optimis, a
nobis obtinendis, non seorsim, sed coniunctim,
sunt attendenda, vt, ex infra dicendis, plenius con-
stabit. Missis proinde illis, hoc nunc agamus, vt in-
telligatur, quatenus sint $\tau\acute{\alpha}\chi\alpha\rho\iota\sigma\mu\alpha\tau\alpha$, $\tau\acute{\alpha}\kappa\rho\epsilon\iota\tau\tau\omicron\nu\alpha$,
quae hoc loco, non sine zelo quodam sacro, di-
cuntur impetranda. $\chi\alpha\rho\iota\sigma\mu\alpha\tau\alpha$, generatim spe-
ctata, describi possunt, nunc per $\text{מִתְּנוּת בְּדָרִים}$, ex
Psal. LXVIII, 19, hoc est, Paulo ipso interprete,
Ephes.

Ephes. IV, 8, per δόματα τοῖς ἀνθρώποις concessa,
 seu bona spiritualia, hominibus gratis a Deo Spiritu
 S., propter Christum, donata, ex Rom. I, II, VI,
 23, XII, 6, et I Cor. XII, 4, nunc per τὸ ἅγιον πνεῦ-
 μα, I Cor. XII, 3, I Thess. V, 23, nunc per χάριν τῷ
 Θεῷ, ex Rom. V, 15, metonymice scilicet acceptis
 his vocabulis, utipatet ex Ioh. III, 6, ubi vocabu-
 lum, πνεῦμα, et in impropria, et propria, signifi-
 catione, ponitur simul, atque ex Rom. V, 15, vbi ἡ
 χάρις τῷ Θεῷ per δωρεὰν ἐν χάριτι, τῇ τῷ ἐνὸς ἀνθρώ-
 πῳ, Ἰησοῦ Χριστῷ, et haec iterum, per χάρισμα, expo-
 nitur. conf. WILH. LYSERVS, *System. Theol. p.*
III, et MART. CHEMNITIVS, *Loc. de Spiritu*
S., Cap. IV, num. IV. Causa una subest, eadem-
 que haec, quod, etiamsi multa sint huiusmodi χα-
 ρίσματα, quae propterea διαίρέσεις χαρισμάτων, I
 Cor. XII, 4, καὶ μερισμοὶ τῷ Πνεύματος ἁγίου, καὶ
 ποικίλαι δυνάμεις, Hebr. II, 4, dicuntur, vnus ta-
 men Spiritus Sanctus est, et vnus Deus, ὁ ἐνεργῶν
 πάντα ἐν πᾶσι, διὰ τῷ Χριστῷ, I Cor. XII, 4, 6, ne quis
 naturam et gratiam commisceat, atque haec χαρί-
 σματα, cum bonis et donis, hominibus, vel con crea-
 tis, vel connatis, vel naturalibus etiam viribus ab
 illis acquisitis, incaute, vel data opera, confundat.
 Cui placet, eadem haec χαρίσματα paulo plenius
 describere, is dicat, esse bona et dona Spiritualia,
 seu perfectiones supernaturales, in homine, a Deo
 Spiritu sancto, in regno gratiae, per et propter gra-
 B 378 tiam,

tiam, in Christo nobis datam, nunc ordinario modo, adeoque mediante verbo et sacramentis, eorundemque ministerio ordinario, nunc extraordinario modo, productas, aptum hominem reddentes, ad omnis generis, ἐνεργήματα spiritualia, tam in ministerio sacro, quam extra illud, pro ratione status vniuscuiusque, exerenda, seu ἁγίον καὶ πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρητισμένον, idque iterum ad gloriam Dei vñtrini et Christi, sui que et aliorum salutem aeternam promouendam. Quae descriptio χαρισμάτων paulo plenior et accuratior erit, quam illa DIONYSII a RICKEL, CARTHUSIANI, *Tr. I. de Donis Spiritus S., Artic. XVI*, quae non uno nomine potest accusari, quia fundamentum continet omnium, de donis Spiritus S., errorum Papisticorum, qui, in hoc Tractatu, magno numero proponuntur. Docet eadem haec nostra descriptio distinguere, ex I Cor. XII, χάρισμα, διανοίαν, καὶ ἐνέργημα, quae tria SCHOMERVS, *Exeg. Ep. I Cor., ad Cap. XII*, ita recte distinguit, ut χάρισμα sit donum Spiritus Sancti, quo quid effici potest, quod spirituale ἐνέργημα dici possit; διανοία vero officium, quo administratio quaedam sacra nobis est commissā, ut Apostolatus, Episcopatus, &c.; ἐνέργημα denique sit operatio, vel effectus ex charismate, vel diaconia, fluens. Cum vero non tantum detur quaedam ἀπαρχὴ τῷ πνεύματος ἁγίου, cuius Paulus meminit, Rom. VIII, 23, sed sint etiam, ut

ut

ut ante obseruatum est, μερισμοὶ τῷ πνεύματος τῶ-
 τῃ, καὶ ποικίλαι δυνάμεις αὐτῇ, Hebr. II, 4, 6, non,
quasi portiones sint Spiritus sancti, tanquam to-
tius distributi, sed, tanquam causae distribuentis,
 quod DORSCHVS, contra omnes hostes diui-
 nitatis Dei Spiritus sancti, recte obseruat, *Theolog.*
Zachar., Part. II, p. 331, et, cum porro dentur non
 tantum δόσεις quaedam ἀγαθὰ, sed etiam δωρήμα-
 τα τέλεια, Iac. I, 17, quae hoc loco dicuntur κρείτ-
 τονα χαρίσματα, statim intelligitur, χαρισμάτων,
 antea descriptorum, posse et debere constitui di-
 versa non tantum genera, sed etiam gradus inae-
 quales. Quod attinet ad diuersa genera horum
 χαρισμάτων, in illis exponendis iam multi ex Pa-
 tribus fuerunt occupati. IVSTINVS, v. c., MAR-
 TYR., in *Dialog. cum Tryphone*, TERTVLLIA-
 NVS, *aduersus Marcionit., Lib. V*, ORIGENES,
in Epistol. ad Rom. I, 71, AMBROSIVS, *de Spiri-*
tu sancto, Lib. VI, cap. 20, GREGORIUS NA-
 ZIANZENVS, *Orat. XLIV*, CHRYSOSTO-
 MVS, *de Spiritu sancto*, EPIPHANIVS, *Haeres.*
XLVIII, HIERONYMVVS, *aduersus Iovinian.,*
 AVGVSTINVS, *ad Simplic., Lib. II, quæst. I,* etc.
 quorum plerique, quoniam, ex Esa. XI, 2, septem di-
 versa genera χαρισμάτων numerarunt, causam de-
 derunt Ecclesiae, quamobrem, in cantilena illa sa-
 cra: *Veni, creator Spiritus etc.*, Spiritum sanctum
septiformem munere, den Geist mit Gaben sieben-

B 2 379 falt

falt (rectius mannichfalt) nominauerit. Hos imitati sunt plures alii, non dicam, ex Scholasticis, qui, THOMAM secuti, ex I Cor. XII, nouem *χαρισμάτων* genera constituunt, eademque iterum in tres classes distribuunt, de quibus, et reliquis, qui iterum aliter haec dona diuidunt, quaedam monuit VOETIVS, *Disp. Sel. P. II, p. 1091, et 1099*, sed ex nostratibus. Ita, v. c., LVTHERVS ipse passim hoc argumentum attingit, speciatim in *T. IV Altenb., p. 207*, ubi caput Genes. XXXI exponens, doctrinam de varietate donorum Spiritus sancti, eleganti quadam similitudine, illustrat, *das sehen wir, inquit, durch und durch, die Apostel haben geprediget allein den Glauben an Christum, und die Liebe, das ist die rechte Predigt, davon die Seelen BVND werden, das ist, gezieret und geschmückt durch mancherley Weise und Wercke, so in der Christenheit geben. Denn die Christliche Kirche hat durch und durch nur ein Wort, Glauben und einerley Geist, doch bleibet auch dabey das BVNDWERCK, daß wir mancherley Ampt und Gaben von Gott haben. Einer hat Gaben zu predigen, der andere zu regiren, etc. Darnach Gott nun seine Gaben austheilet, so, oder so, darnach sind wir bund und sprenklicht, und bleiben doch gleichwol alle Schafe in der Einigkeit der Heerde und des Hirtens Christi. Sunt χαρισμάτων* quaedam, quae, quoniam, extraordinariis mediis,

diis, modo et gradu, quibusdam hominibus a Deo
 Spiritu sancto, ad *ἐνεργήματα* extraordinaria et
 miraculosa edenda, concessa fuerunt, *extraordi-*
naria et *miraculosa dona*, dici solent, ut ab *ordina-*
riis Spiritus sancti *χαρίσμασι* distingui possint.
 Et, quia huiusmodi *χαρίσματα* in prima potissi-
 mum Ecclesia eminuerunt, solent etiam dona mi-
 raculosa atque extraordinaria primae Ecclesiae no-
 minari. Horum quinque, ex Marc. XVI, 17, et pri-
 mum quidem Daemonum expulsionem, deinde do-
 num linguarum, tum vero *ἀναισθησίαν*, seu tole-
 rantiam cruciatuum, postea donum sanationum,
 ac denique donum prophetiae et visionum, capitibus
 septem, copiose explicuit TOB. PFANNERVS,
Diatribē de Charismatibus, seu donis miraculosis
antiquae Ecclesiae. Sunt, qui eadem haec dona
 Ecclesiae extraordinaria ad tria reducunt genera,
 obseruantes, quod *vel sint potentiae, vel intellectus,*
vel voluntatis, dona, quae summa est *Disputatio-*
nis illius, de Donis Spiritus sancti extraordinariis
primae Ecclesiae, quae Gryphiswaldae, non ita
 pridem, praefide HENRICO GEBHARDI, pro-
 diit, in qua ad *dona potentiae* referuntur omnis gene-
 ris miracula, a sanctis Dei Viris facta, propterea,
 quod, I Cor. XII, 10, *ἐνεργήματα δυνάμεως* dicuntur.
Charismata autem intellectus extraordinaria illu-
 strantur, *prophetiae, discretionis spirituum, doni lin-*
guarum aliorumque, exemplo. De *donis voluntatis*

*extraordinariis, v. c., de dono castitatis, ἀναισθησί-
 as aliisque, speciatim quoque aliquid ibidem obser-
 vatur. Possunt porro χαρίσματα generaliora a
 specialioribus distingui, quorum illa sunt et dicun-
 tur, quae ab inchoata seu generaliori, externa et as-
 sistente, gratia diuina dependent, adeoque etiam in
 impenitentes et sub inchoato actu gratiae diuinae
 regenerantis, conuertentis atque illuminantis, con-
 sistentes, cadunt: Haec vero a specialiori, continua-
 taque et in habitante, gratia diuina proficiuntur,
 et solis vere pleneque renatis obtingunt, iisdemque
 quasi propria sunt, de qua distinguendi ratione, quia
 a multis hodie prorsus praetermitti solet, cognosci
 quaedam possunt ex Συναγχαφία *Donorum Spiritus
 sancti specialium*, IOH. ADAM. SCHERZE-
 RI, in qua, ex I Cor. XII, 4 sqq., specialia χαρίσμα-
 ta, numero nouenario, includuntur, addito atque
 explicato simul discrimine *donorum permanentium
 et transeuntium*: Illa *habitus permanentes*, haec ve-
 ro *motiones transeuntes*, nuncupantur. Non est
 negligenda diuersitas χαρισμάτων *administrantium,
 et sanctificantium*, quorum illa sunt et recte dicun-
 tur, autore ZACH. GRAPPIO, *Diss. de Donis Ad-
 min. et sanctificant.*, Sect. I, §. 21, *perfectiones su-
 pernaturales a Spiritu sancto ex singulari gratia
 in certis subiectis excitatae, per quas idoneae red-
 duntur, ad gratiam Dei, hominibus recte dispen-
 sandam, Ecclesiamque plantandam, sustentandam*
 bene-*

beneque gubernandam, in gloriam Dei, et Ecclesiae utilitatem. Haec autem sunt perfectiones iterum supernaturales, a Spiritu sancto eiusdemque gratia specialiori, per verbum et sacramenta, in homine vere renato et renouato excitatae, per quas, ad recte credendum, et sancte viuendum, redditur idoneus. Nec praetermittendi hic illi sunt, qui omnium horum *χαρισμάτων* nexum atque ordinem explicuerunt, in primis IOH. GEORG. NEVMANNVS, in *Disp. de Nexu et Discrimine Donor. Grat.*, ex Aët. XXVI, 17, 18, et IOH. FECHTIVS, in *Aphorismis Theologicis, de Ordine modoque graduum gratiae diuinae*, vt nihil dicam de eiusdem huius FECHTII *Disp., de Fide bonorum temporalium, et χαρισμάτων spiritualium, donatrice.* Etsi vero illi, et eiusdem generis Scriptores alii, prius argumentum, de diuersis *χαρισμάτων* generibus, bene cumulateque satis pertractarunt, *χαρίσματα* tamen *μείζονα* aut prorsus non attingunt, aut, quid sint, et quo zelo sint impetranda, plene non exponunt. Qui vero haec verba Pauli, vel versionibus, vel commentariis, illustrarunt, illi, iusto, vt mihi videntur, breuiiores sunt, τὰ *μείζονα χαρίσματα* exponentes, nunc per *meliora*, nunc per *optima*, nunc per *potiora*, *dona*. Legunt etiam exemplaria non nulla τὰ *μείζονα χαρίσματα*, secundum quam lectionem, meliora dona, per maiora, essent explicanda. Quod ad posteriorem, ex

variante ista lectione deriuatam, explicationem at-
 tinet, hanc non nulli interpretes non immerito hoc
 loco improbant. CHRYSOSTOMVS, ad hunc
 locum, *Homilia XXXII, in I. Corinth.*, de Paulo
 Apostolo sic recte scribit: ὅταν εἴπῃ, ζηλῶτε, τὴν παρ'
 ἐκείνων σπᾶδὴν ἀπαιτεῖ, καὶ ἐπιθυμίαν τὰ περὶ πνευ-
 ματικά, καὶ ἔκ εἶπε, τὰ μείζονα, ἀλλὰ τὰ κρείττονα,
 τῶν ἐστὶν, τὰ χρησιμώτερα, τὰ συμφέροντα, h. e., quan-
 do Apostolus dicit: *Aemulamini, exigit hoc ipso*
studium et desiderium rerum spiritualium. Non
 dixit autem, maiora, sed, meliora, hoc est, utiliora,
 quae conducant et prosint, aemulamini. Inquam
 sententiam BALDVINVS quoque, *Comm. ad h. l.*,
intelligit, inquit, *Apostolus superiora dona, non se-*
cundum quantitatem, sed qualitatem, hoc est, qui-
bis commoda Ecclesiae, et gloria Dei melius pos-
sit promoueri, inde adeo dona meliora, non maiora,
iniungit expetenda, vel, vt GROTIVS, ad h. l.,
τὰ κρείττονα χαρίσματα, non male exponit, quae
sint unicuique, et Ecclesiae, maxime utilia. Atque
 haec nos expetere et exoptare, debebamus, non,
 quatenus sunt maiora, propter studium humilita-
 tis perpetuum, quod in omni, et possessione, et
 consecutione, bonorum meliorum, immo, etiam
 optimorum, requiritur, sed, quatenus sunt, tam ad
 communem, quam ad propriam, utilitatem ac sa-
 lutem magis accommodata. Et si igitur *meliora*
dona, hoc loco, etiam per optima, et κρείττονα χα-
ρίσμα-

ρισμα-

ρίσματα per *τέλεια δαρήματα*, recte exponuntur, secundum Enallagen gradus comparatiui, pro superlatitio, quae loquendi ratio frequentissima est in sacro Codice, Matth. c. XI, II, Cap. XVIII, I, I Cor. XV, 19, II Petr. I, 19, etc., et, quamuis haec *χαρίσματα κρείττονα*, meliora atque optima, sint etiam reuera maiora ac sublimiora, vel excellentiora reliquis, quae saltem *ἀγαθὰ* dicuntur, a nobis tamen, non, vt maiora, sed, vt meliora atque vtiliora, sunt expetenda, ne quis nostrum, super, et contra, alium, sese efferat, aut arroganter de se existimet, I Cor. IV, 6. Oportet enim, eos, qui optimis instructi sunt *χαρίσμασιν*, humilimos se gerere erga illos, quibus minima obtigerunt dona, Matth. XVIII, 4. Oportet, nos nihil expetere *κατ' ἐρίθειαν, ἢ κενοδοξίαν, ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενος ὑπερέχοντας ἑαυτῶν*, Phil. II, 3. Alias, generatim loquendo, si hanc quoque donorum, inter se collatorum, praestantiam maiorem, atque inde ortam inaequalitatem, attendere non velis, triplex restabit alius considerandi modus, cuius respectu *χαρίσματα κρείττονα*, seu meliora atque vtiliora, immo, optima, adeoque etiam, maiori zelo a nobis expetenda esse, dicuntur. Unus est ille *χαρίσματα* omnia considerandi modus, quo inter se, genus nempe aliud cum alio, comparantur, ac deprehenduntur alia aliis *κρείττονα*, hoc est, non excellentiora tantum, aut praestantiora, quod, vidimus, in ae-

C

382 mula-

mulatione *χαρισμάτων* non usque adeo a nobis at-
 tendendum esse, sed meliora atque utiliora Eccle-
 siae atque illis ipsis, in quibus insunt. Ita, verbi cau-
 sa, *χαρίσματα* sanctificantia *κρείττονα*, seu meliora,
 dici possunt, in relatione ad dona administrantia,
 non, quasi haec sint naturalia, et illa spiritualia, dicen-
 da, ut multi opinantur nostra aetate. Vtraque enim,
 si quidem sint *χαρίσματα*, sunt spiritualia, et super-
 naturalia, ex I Cor. XII, 4, sqq.; sed, quia per dona ad-
 ministrantia, si sola illa sint, aedificantur alii ad salu-
 tem aeternam, per sanctificantia autem dona, prae-
 fertim, si cum prioribus coniungantur, et Ecclesia
 aedificatur, et ille ipse, in quo insunt, ut possit se
 ipsum et Ecclesiam saluare, quod ab omnibus Eccle-
 siae Doctoribus requirit Paulus, I Timoth. IV, 13-16.
 Sic donum prophetiae, eo quidem sensu acceptum,
 quo occurrit in I Cor. XIV, 1-5, ab ipso Apostolo
 annumeratur illis donis, quae *κρείττονα χαρίσματα*
 dicuntur, et praefertur dono linguarum, addita
 ibidem hac causa: *Qui loquitur lingua, non*
hominibus loquitur, sed Deo, &c., qui au-
tem prophetat, hominibus loquitur, aedificationem,
exhortationem et consolationem. Qui loquitur
lingua, seipsum aedificat: At, qui prophetat, con-
gregationem aedificat. Colligitur inde, vers. 5:
Μεῖζων ἐν ὁ Προφητεύων, τὸ ἐστὶ, διερμηνεύων, ἢ αὖ
ἐκκλησία οἰκοδομὴν λαβὴν, ἢ, ὁ λαλῶν γλώσσαις.
 Alter modus considerandi τὰ χαρίσματα τὰ κρείτ-
 τονα is est, quando, in uno eodemque genere *χαρισ-*
μάτων,

μάτων, gradus obtinetur illustrior perfectiorque.
 Ita nihil prohibet, ex Hagg. II, 10, similibusque aliis
 Scripturae locis, *χαρίσματα* fidelium N. T., in pri-
 mis Apostolorum ac Discipulorum Christi, *κρείττο-
να* dicere, idque in respectu ad *χαρίσματα* fidelium
 V. T., quod Servator noster ipse confirmat, Matth.
 XIII, 16, generatim illud asserendo de Discipulis su-
 is omnibus, speciatimque, de Iohanne, Matth. XI,
 II. Et quotusquisque est, qui ignoret, diuersos ad-
 modum gradus dari, scientiae, sapientiae, pruden-
 tiae, ipsius denique fidei atque omnium virtutum
 Christianarum. Quoties proinde, ad incremen-
 tum capiendum totius vitae spiritualis, generatim
 loquendo, speciatimque ad fidei incrementum, eiuf-
 demque in primis *παρρησίαν καὶ πληροφροσίαν* im-
 petranda, excitamur, quando, v. c., Eph. III, 16,
 19, iubemur, *κατὰ τὸν πλῆτον τῆς χάριτος τῆς Θεᾶς,
 κραταιωθῆναι διὰ τῆς πνεύματος αὐτῆς εἰς τὸν ἔσω ἄν-
 θρωπον, καὶ πληρωθῆναι εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεᾶς,*
ut charitas nostra magis magisque exundet, in co-
gnitione et omni sensu, Phil. I, 9, *ut perficiamur, sta-*
biliamur et robore fundemur, I Petr. V, 10, toties
 existimandum est, τὰ *χαρίσματα* τὰ *κρείττονα*, una
 cum zelo sacro, pro illis obtinendis, nobis com-
 mendari. Ultimus et tertius denique modus, τὰ
χαρίσματα, τὰ *κρείττονα* cognoscendi atque expli-
 candi, oritur ex donorum variorum gratiae Spiri-
 tus sancti coniunctione, et, quod plurimum valet,

ad finem ultimum, hoc est, ad gloriam Dei unitri-
ni et Christi, propriamque et aliorum, seu Eccle-
siae, aedificationem, relatione. Haec enim haud
dubie est illa κατ' ὑπερβολὴν ὁδὸς, *excellentior via*,
seu *via perueniendi ad excellentiam* donorum opti-
morum, quam Paulus subiungit, post commenda-
tionem χαρισμάτων κρείττονων, I Cor. XII, 31, at-
que integris Capitibus, XIII et XIV, persequitur.
Hoc est illud, quod Petrus postulat, I Petr. IV, 10,
ut quisque, inquit, *accepit χάρισμα, ita, alius in*
alium, illud administret, ὡς καλὸς οἰκονόμος τῆς ποι-
κίλης χάριτος τῷ Θεῷ. Quod ad coniunctionem
attinet χαρισμάτων, illa spectat, cum ad dona ipsa
generatim considerata, atque inter se, quantum
unicuique, et quidem pro diuerso Ecclesiae statu,
nunc plantandae, nunc plantatae, conceditur, com-
binanda, verbi causa, ad administrantia dona cum
sanctificantibus coniungenda (quoniam illa, sine his,
ἀγαθὰ quidem, et, certo etiam respectu, spiritualia,
nominari possunt, κρείττονα autem dici nequeunt)
tum vero speciatim ad charitatem, a nullo omnium
reliquorum χαρισμάτων separandam. Inde adeo
Apostolus, *si*, inquit, I Cor. XIII, 1, sq., *linguis ho-*
minum atque Angelorum loquerer, charitatem ve-
ro non haberem, factus essem, velut aes sonans, aut
cymbalum tinniens, et, si haberem prophetiam, et
nouissem mysteria omnia, et omnem scientiam, et,
si haberem omnem fidem, ita, ut montes transferre
possem,

possem, charitatem verò non haberem, nihil essem.

Ex quo haud obscure simul innotescit modus et zelus ille sanctus, quo τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα, haecenus explicata, debent obtineri. Vt enim possessio atque usurpatione donorum meliorum, seu optimorum horum, sic etiam impetratio eorundem, seu aemulatio circa illa, tota, quanta quanta est, dependet a legibus charitatis Christianae, referendaque est, cum ad gloriam Nominis diuini, tum ad propriam communemque totius Ecclesiae utilitatem. Quoties scilicet vocabulum ζῆλος, et ζηλόω, in sacro Codice, coniungitur cum voce ἔρις, καὶ ἐρίθεια, vel ἐρίζειν, aut huic simili alio, vel cum obiecto subiectoque malo ac peruerso, toties aemulationem peruersam, zelumque praeposterum, hoc est, animi impetum coecum, cum arrogantia, livore, invidia, atque, id genus, aliis vitiis, coniunctum denotat, vti patet, ex Act. V, 17, VII, 9, XIII, 45, Rom. XIII, 13, I Cor. III, 3, Jac. III, 14. Quando vero, sine his additis, ponitur, ac praedicatur de fidelibus et vere piis, deque rebus bonis, sanctis, maximeque utilibus, uti hoc loco, de obtinendis χαρίσμασιν illis, quae summo iure κρείττονα dici poterant, tum vero significat honestam piamque virtutis ac praestantiae, in aliquo alio, vel re quadam alia, eminentis, imitationem, coniunctam cum ardenti quidem, sed prudenti pioque, consilio, et charitate simul temperato studio, immo et precibus ad Deum fuis, ut GROTIUS, et ex

eodem CLERICVS, cum suo HAMMONDO, ad h. l., obseruat, pro illo obtinendo, cuius instituitur imitatio, uti patet ex 2 Cor. IX, 2, 1 Cor. XIV, 1, &c., vid. HIERONYMVS, in *Cap. V Epist. ad Gal.* *Huiusmodi zelus charitate inflammatur, scientia informatur, constantia firmatur: Feruidus est, et inuictus quidem, sed simul circumspectus nec teporem habens, nec discretionem carens, ut loquitur BERNHARDVS, in Cant. Cant.* Hic zelus, et tempori, et donis ipsis impetrandis, prudenter est accommodatus, ut, neque maiora, neque plura, *χαρίσματα*, expetat, quam, quae expeti atque obtineri, pro ratione diuersi status vniuscuiusque, et ipsius quoque Ecclesiae, nunc plantandae, nunc plantatae, poterant. Et talem quidem zelum Apostolus, et Corinthiis, et vere piis ac fidelibus omnibus, in primis vero Doctoribus in Ecclesia, non tam concedit, quam iniungit. Postea enim, quam aemulationem peruersam, contentiosam, et schismaticam, improbauerat, tum vero, *ζηλᾶτε*, inquit, *τὰ χαρίσματα, τὰ κρείττονα*, hoc est, si vultis aemulari, quod non improbo, aemulemini dona meliora et optima, sed sancto pioque zelo, secundum viam charitatis, quae sit *κατ' ὑπερβολὴν ὁδὸς*, via excellentissima, ad dona obtinenda *κρείττονα*, antea descripta omnia. Per huiusmodi enim zelum longissime propellitur omnis *ἐρίθεια, κενδοξία, διχοσασία*, et innumerabilis multitudo aliorum, id genus

genus, vitiorum: Commendatur vero studium perpetuum concordiae, humilitatis, patientiae, prudentiae, verae lenitatis, sapientiae, constantiae, omniumque fere reliquarum, quae supersunt, virtutum Christianarum. *Da weis einer des andern seine Mängel und Fehler zu tragen, und einer dem andern mit seinen Gaben aufs fleissigste und freundlichste zu dienen und zu helfen, wie ein Glied dem andern. Da will es immer der eine dem andern zu vor thun, in der Niedertrechtigkeit, Dienstbegierigkeit, Gedult, Liebe, Demuth, Ausbreitung der Ehre Gottes, und Befoderung des allgemeinen Bestens. Da suchen dieienigen, die höher sind, und grössere Gaben haben, dieienigen nicht zu verachten, die geringer sind, und kleinere Gaben haben, diese aber ienen nichts zu missgönnen. Alle aber trachten darnach, was zur Erbauung ihrer, und der gantzen Kirche, dienet, vt recte, in hanc sententiam scribunt, LVTHERVS, T. III Alt., p. 163, a, et T. VI Alt., p. 429, b, et CALOVIVS, Bibl. Germ. ad h. l.*

Sed quid opus est, haec plura persequi, cum liceat mihi, quid sint τὰ χαρίσματα, τὰ κρείττονα, et quis sit sanctissimus ille zelus, quo haec, et obtineri, et possideri, et ad promouendam gloriam Dei unitrini, et ad priuatam publicamque, non dicam, Academiae nostrae, sed totius Ecclesiae, qua est puriorum partium, utilitatem, immo, etiam totius or-

bis eruditi splendorem, decus et ornamentum amplificandum conferri debeant, exemplis viuis, et in magna meritorum ac laudis celebritate, in ore, oculis animisq; omnium nostrorum, positis, octo Doctoratus Theologici Candidatorum, exponere ac demonstrare. Sunt illi, eo quidem, quo primum et secundum gradum in Theologia consecuti sunt, ordine:

DN. CHRISTIANVS LVDOVICI,
Landsbut. Silesius, SS. Theol. Licentiatus, Organi Aristotelici in Academia Lipsiensi Prof. P. Ord. Lingu. Orient. et Talmud. Extr., Collegii B. Mariae Virg. Collegiatus.

DN. CHRISTIANVS WEISIVS,
Cygneus, SS. Theol. Licentiatus, ad D. Thomae Pastor Lipsiensis, et Scholae Thomanae Inspector.

**DN. JOHANNES GOTTLOB
CARPZOVIVS,** *Dresdensis*, SS. Theologiae Licentiatus, eiusdemque in Academia Lipsiensi Prof. P. Extr., Ling. S. Ordinar., ad D. Thomae Archi-Diaconus.

**DN. FRIDERICVS GVILIELMVS
SCHV'TZ,** *Lipsiensis*, SS. Theologiae Licentiatus, ad D. Nicolai in patria Archi-Diaconus.

DN. GEOR-

DN. GEORGIUS PHILIPPVS
OLEARIUS, *Lipsiensis*, SS. Theologiae
Licentiatus, Vtriusque Linguae in Patria Aca-
demia Prof. P., Collegii maioris Principum
Collegiatus.

DN. IOHANNES GOTTLOB
PFEIFFER, *Misenenfis*, SS. Theologiae
Licentiatus, eiusdemque in Academia Lipsien-
si Prof. P. Ordinarius.

DN. CHRISTIANVS FRIDERICVS
WILISCH, *Liebstdienfis*, SS. Theol.
Licentiatus, Ecclesiae Freibergensis Pastor
Primarius, et Dioeceseos eiusdem Superin-
tendens, Gymnasiique Inspector.

DN. JOHANNES ANDREAS
WALTHER, *Langendorfsenfis*, SS.
Theol. Licentiatus, Ecclesiae Pegauensis Pa-
stor Primarius, et vicinarum Antistes.

Hi enim Viri, et munerum grauiſſimorum digni-
tate maxime conſpicui, et magnorum, in Ecclesi-
am, in publicam rem literariam atque Academi-
am noſtram, meritorum multitudine, inſignes,
tot χαρίσματα, eademque vere κρείττονα, iam du-
D 385. dum


dum a Deo consecuti sunt, inque horum, et possessione, et usurpatione (hoc est, ad finem ultimum, atque charitatem, relatione) et amplificatione, immo, et communione, tam pio sanctoque versantur zelo, ut in quibusdam paucos pares habeant, in non nullis etiam multos superent, omnibus vero, velut lux clarissima, praeluceant. Hi sunt illi, qui probe norunt, ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, καὶ ἀγαπᾶν ἐν ἀληθείᾳ, ζηλῶν καὶ ἀγαπᾶν, sed illaesa veritate, ζῆλον distinguere καὶ ἔριον, ἢ Φθόνον, et, id genus, vitia alia, moderationem vere sanctam atque Apostolicam, a moderatione syncretistica, et indifferentistica, hodierni teporis in religione multorum praetextu, verbo, probe norunt, ζηλῶν τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα. Hos igitur, magno ipsorum merito, exempli loco, omnibus proponere, et, tanquam illos, qui τὴν κατ' ὑπερβολὴν ὁδὸν, excellentissimam, supra explicatam, *viam*, non tantum aliis, cum Apostolo, ostendunt, sed ipsi eam quoque sequuntur, inque ea contendunt ad perfectionem, Hebr. VI, 1, ut euadant εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας πληρώματος τῆ Χριστοῦ, Eph. IV, 13, commendare, hos, inquam, ad decus publicum atque ornamentum, Ecclesiae non minus uniuersae, quam Academiae in primis nostrae, praecipuum referre, hos denique summis etiam honoribus affici a nobis, oportebat. Οὕτως γὰρ καλῶς προεσῶτες προεσθῆ-
τεροι,

τεροί, ὅτως κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, qui
sunt, hos oportet nos duplici honore dignos repu-
tare, I Tim. IV, 17. Quam ob rem, quod bonum,
felix faustumque esse iubeat Deus immortalis, Or-
do quoque noster, summos in Theologia honores
et priuilegia his octo Viris, pro ea, qua pollet,
potestate, sibi antehac, ab *Episcopatus Mar-
tisburgensis Postulato Administratore
Reuerendissimo Serenissimoque, Cancel-
lario huius Academiae unico ac perpe-
tuo, Domino nostro Clementissimo,*
facta, cum supremum hunc gradum assumendi
Licentiam, diuersis temporibus, et olim, et nu-
per, iam impetrarent, per Promotorem, huic
negotio destinatum, conferet. Eo igitur antiquo
fretus iure, Panegyrii Academicam solenni ritu
a maioribus accepto, in Aede Paulina, ab hora
IIX, propediem celebraturus, *diem XXVII
Aprilis*, publicae renuntiationi designauit. Ut
autem haec promotio illustriori luce coruscet,
MAGNIFICVM ACADEMIAE RE-
CTOREM, *Illustrissimos Comites, Vtrius-
que Reipublicae Procere Grauiissimos, cum Flo-
rentissima Studiosae Iuuentutis Corona, omnes*
386 deni-

denique reliquos, omnium ordinum et dignitatum,
Collegii Theologici Fautores, ego, huius Or-
dinis, h. t. Decanus, pro ea, qua decet, obser-
vantia et humanitate, rogo, vt, dicto tempore
ac loco, splendidissimam sui ac fauentissimam
praesentiam Facultati nostrae, et his futuris
Theologiae DOCTORIBVS, ne dene-
gare velint, eoque ipso, et illam, et hos, ad
gratae mentis officium debitum ac paria studia
arctius arctiusque deuincire. P. P. in Academia
Lipsiensi, Dominica Quasimodogeniti, XVI Ka-
lendas Maias, Anno Recuperatae Salu-
tis c1o 1000 XXIV.

LITERIS IMMANVELIS TITII.





NO 18

54

